

6. Accessit Bulla S. Pii V. *'Super gregem'* 8. Mart. 1568. in qua S. Pontifex renovat constitutionem Innoc. III. relata in cap. 13. cit., et statuit ut medici vocati ad infirmos jacentes in lecto eosdem admoneant, ut Confessario peccata sua confiteantur, neque tertio die ulterius visitent, nisi longius tempus confessarius concesserit; aut nisi constiterit de peracta confessione ex fide Confessarii in scriptis relicta. Contra medicos transgressores vero decernitur pœna statuta in cap. 13. h. t. 2^o. Infamia. 3^o. Privatio gradus medicæ facultatis. Hanc Constit. ajunt DD. etiam juxta inductam consuetudinem, esse intelligendam de morbo periculoso. Ita Hengel. h. t. n. 10.

7. Verum accessit deinde Decretum Benedicti XIII. in Conc. Romano sub tit. 32. c. 1. et subsequens declaratio secretarii ejusdem Concilii impressa in Append. Concilii sub n. 28. Porro in Decreto Concilii 1^o. renovatur dispositio Piana. 2^o. excludi videtur necessitas periculi ut Medicus vel Chirurgus teneatur admonere infirmum de confessione sacramentali peragenda. Etenim pro quovis morbo præcipitur servanda dispositio Piana, exceptis solum morbis artritidis. 3^o. Medicis vel Chirurgis transgressoribus imponitur pœna excommunicationis, latæ sententiæ. 4^o. Confessariis sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ ab excipiendis confessionibus præcipitur ut post exceptam ab infirmis confessionem fidem de eadem faciant scripto, et documentum domi relinquunt. Porro in pagellis pro confessionibus audiendis solet ab Ordinariis hæc pœna suspensionis infligi. Duo in hac re animadvertimus 1^o. interdictum ab ingressu Ecclesiæ medicis comminatum cap. 13. h. t. esse ferendæ sententiæ. Non enim apposita est Clausula *'ipso facto'*. 2^o. Juxta Benedictum XIV. *Inst. Ecc. 22. n. 17.* decreta Pontificia superius descripta de infirmo relinquendo non obligant quando morbus est ita gravis ut sine ope medici periculum adsit.

TITULUS XXXIX.

De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti.

1. Titulus præsens agit de censuris. Censura, ita dicta ad exemplum pœnarum quas ad emendationem civium censores populi Romani infligere solebant, definitur *'Pœna spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci per*

potestatem ecclesiasticam aufertur usus bonorum spiritualium'. Aliquo sub respectu censura est pœna quia ob delictum vel culpam inflictam secumfert aliquam malitiam propter privationem jurium seu bonorum spiritualium. Non infligitur autem censura ad publicam vindictam criminis, sed potius ad correctionem rei; hinc dicitur pœna medicinalis.

2. Per auctoritatem ecclesiasticam fertur censura, idest nedum infligitur a Romano Pontifice, Episcopis et Abbatibus nullius, Cap. 1. et 16. *'De Offic. Ord. Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. De Ref.* sed etiam ab aliis judicibus. Uno verbo infligi potest censura ab illis, qui in foro externo et contentioso habent jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam. Tales sunt Legati Sedis Apostolicæ. Cap. *'Noviter'* *'De Offic. Legati'* et cap. 2. eod. in VI^o. Superiores regulares quoad suos subditos regulares. Cap. 10. *'De Majorit. et Obed.'* cap. ult. *'De statu monach. et cap. 33. De simonia'*. Vicarius Generalis Episcopi et Vicarius Capitularis. Cap. 7. h. t. in VI. Judices delegati. Tandem Concilia et Capitula regularium. Et ratio est quia potestas ferendi censuras pertinet ad potestatem jurisdictionis in foro externo. Censura enim est privatio usus bonorum publicæ societatis christianæ. Hinc Parochus ferre censuras non potest. Infligitur autem censura in solos subditos.

3. Ut autem excommunicatio major, plena suspensio et interdictum infligantur, requiritur delictum externum, quia Ecclesia de internis non judicat. Cap. 33. *'De simonia'*. Scilicet tale facinus requirit quod secumfert culpam gravem. Arg. can. 39. caus. 11. q. 3. et Conc. Trid. sess. 25. De Ref. c. 3. Hoc vero intelligi debet de excommunicatione majori, de suspensione ab officio et a beneficio vel ab alterutro et de interdicto. Nam excommunicatio minor incurritur seu incurrebatur etiam ex culpa levi, quemadmodum etiam potest infligi suspensio ab aliquo actu officii. Ita DD. Necesse autem non est ut sit publicum et notorium. Hinc datur etiam censura ex informata conscientia.

4. Requiritur etiam contumacia, quæ consistit in contemptu auctoritatis ecclesiasticæ, quæque verificatur sive quando quis Superiori legitime imperanti resistit, sive quando quis sciat aliquid prohiberi ab Ecclesia sub censuris, et nihilominus non dubitat illud agere.

5. Quare a censura incurrenda excusat 1^o. ignoratio tum juris tum facti. Hinc licet quis sciat actum prohibitum ab Ecclesia,

ignoret autem prohibitioni adjectam esse censuram, ignorantia hæc excusat a censura, nisi ignorantia fuerit supina et crassa, et eo magis si fuerit affectata qua nempe quis dubitans cuidam actioni censuram esse adnexam nolit investigare, ne cognoscat. *Cap. 2. 'De Const.' in VI.*

6. Quin immo si censura inflictæ fuerit contra illos, qui ex consulto scienter vel temerario ausu egerint, vel qui agere præsumpserint, vel sub simili modo loquendi, etiam crassa et supina ignorantia excusat. Quia positiva scientia censuræ necessaria videtur ad ipsam incurrendam.

7. Quid vero si ignorantia hac hypothese fuerit affectata?

Magnæ notæ Doctores dicunt, ignorantiam hanc excusare a censura, tum quia positiva scientia non verificatur, tum quia qui vult ignorare legem aut censuram, adhuc aliquam reverentiam conservat erga auctoritatem, cujus voluntatem ideo non vult inquirere, ne eam violet. Certe rationes istæ suo non carent pondere. At communior est aliorum sententia qui docent non excusare, quia hæc ignorantia in jure dolo æquiparatur. Ideo enim ignorans non vult rite cognoscere legem et pœnam eidem adjectam, quia vult pro libitu agere, idest contra id, quod prævidet cum fundato dubio a lege sub censura prohiberi. Quoniam vero quisquis diligens esse debet in negotio animæ suæ, quod a lege regitur, hinc affectans ignorantiam legis vel censuræ proprie legem non reveretur, sed potius eam despicit, et ex fraude sua vult eam ignorare. Dixi tamen *'quod prævidet cum fundato seu vere probabili dubio'* quia dubium hoc constituit agentem in mala fide. Hinc non versaretur in ignorantia affectata ille, qui solum de existentia legis vel pœnæ dubitaret.

8. Excusat 2º a censura metus gravis juxta Reg. 4. Juris. Non enim præsumitur Ecclesia prohibitionem suam positivam velle adstringere fideles qui tali necessitate premantur, nec contumaces videntur esse qui agunt morali eaque gravi coactione impulsim. Excipiunt autem DD. casum quo violatio legis etiam sub metu, cederet in contemptum fidei, vel in dedecus auctoritatis Ecclesiæ. Ratio est quia in hisce casibus lex Ecclesiæ obligat etiam sub metu. *Cap. 5. De his quæ vis vetusque causa fiunt.* Idem dici de actione ageretur quæ posita in publico boni præjudicium cederet.

9. 3º. In foro conscientie excusat persuasio propriæ innocentie, quamvis in foro externo crimen juridicis probationibus constet. Quo tamen in casu saltem ad scandalum vitandum, fidelis tenetur sese gerere coram societate ceu censura ligatum.

10. Hoc vero dicendum non est quando censura etiam in foro externo nulla sit et prorsus invalida. Nam censura isthæc nullum parit effectum. Invalida autem est censura a) si Prælati, qui eam infligit caret jurisdictione necessaria relate ad personam, sive quia absolute censuras ferre nequit, sive quia post sententiam censuræ omnino notoriam, appellatio legitima interposita fuerit. *Cap. 20. h. t. in VIº.* b) Si causa ob quam censura lata est notorie sit falsa et injusta. Ex. gr. si ob actum revera et notorie licitum fuerit inflictæ.

11. c) Si forma substantialis neglecta fuerit in judicio. Porro substantialis forma potest esse duplex: 1º. Forma potest esse specificè substantialis, quando nempe in lege, quæ pœnam censuræ decernit, designetur modus servandus in eadem pœna infligenda. 2º. Forma genericè esse potest substantialis.

12. Quod ut intelligatur sciendum est censuram aliam esse a *jure*, aliam ab *homine*. Ab homine quidem fertur censura quando Prælati vel iudex contra contumacem censuram decernit, vi suæ auctoritatis, quin aliquo in canone contra hujusmodi contumacem, mentio specialis fiat de aliqua pœna censuræ. Exemplum reperitur in *cap. 'Odoardus' 'De solutionibus'*. Si autem de censura in canone vel Constitutione caveatur, a lege procedere dicitur.

13. Rursus censura hæc alia est *ferendæ sententiæ*, alia *latæ sententiæ*. Ferendæ quidem sententiæ est, quando lex vel præcipiat, vel facultatem tribuat Episcopis, Prælati, ut censuram decernant. Latæ sententiæ vero est censura, quando ipsa lex censuram infligat, et ipsa lex quodammodo ministerium iudicis punientis exerceat. Hinc posito facto criminoso cum contumacia conjuncto, delinquens censura ligatur.

14. Hisce positis si censura excommunicationis procedat a *jure*, et sit latæ sententiæ, ipso facto incurritur, nec ulla monitio necessaria est. Utique locum habere potest in ista censura sententia iudicis declaratoria, at sententia hæc profertur solummodo contra reum ut ab aliis videatur, quia reus jam ligatus fuerat

vinculo censuræ ab ipsa lege. Cf. *Fagn. in cap. 'Non potest' De sent. et re jud. n. 18. et seqq.* Hinc prævia monitio non requiritur, sed solum requiritur citatio rei, si factum non fuerit notorium, quia causa est discutienda. *Clem. 3. de censuris et Clem. 2. de Pœnis.* Secus vero si factum fuerit notorium; nam juxta communia principia juris, citandus non est ille, cui notorie non competit defensio. Notorium enim pro certo habetur, nec ulla indiget probatione. Quod si censura procedat a lege, sed sit ferendæ sententiæ, vel ab homine feratur, requiritur prævia monitio, quæ etiam dicitur comminatio censuræ. *Capp. 26. De appell. 24. h. t. capp. 5. 9. et 13. h. t. in VIº.* Etenim in judicio constare debet de contumacia delinquentis, qui si congrue satisfecerit, censura ligandus non est. Porro hæc monitio saltem ad inferendam censuram excommunicationis absolute requiritur. Cf. *cit. cap. præsertim 9. h. t. in VIº.*

15. Monitio hæc triplex esse debet cum competente intervallo dierum, aut saltem debet esse una, quæ tres monitiones completatur. Fieri autem debet scripto, et intimari delinquentibus coram testibus, si possit. Quod si delinquens delitescat vel fugiat monitio triplex vel una tribus æquivalens fieri debet in domo ejus, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in aliquo publico loco est affigenda. *Cap. 5. § 'Porro' ut lite non contest. 'Clem. 3. De electione etc.'*

Hiscæ positis si sententia excommunicationis feratur absque trina monitione, vel una saltem tribus æquivalente; sententia nulla est et despici potest.

16. Excipiunt Doctores casum quo crimen non solum, sed etiam contumacia delinquentis sit notoria. Quando enim excessus delinquentis est notorius, novis probationibus non indiget. *Cap. 9. 'De electione etc. et cap. 23. eod.'*

17. Quæritur quibus infligi potest censura. Censura est actus potestatis seu jurisdictionis Ecclesiasticæ. Hinc infligi potest solummodo in homines *baptizatos, doli capaces et subditos.* Solet etiam addi *viatores,* quia excommunicatio contra mortuos, vel absolutio ab excommunicatione non excommunicatio proprie est, vel absolutio, sed declaratio de eo quod fieri debuisset, si in vivis agerent, et solummodo adhibentur pro effectu sepulturæ ecclesiasticæ, et pro precibus, vel suffragiis publicis peragendis vel non. Quoniam vero juxta concretam formulam regiminis ecclesiastici, potestas et

relativa subjectio respiciunt territorium et personas, hinc censuræ participant simul de qualitate pœnæ localis vel personalis. Quare 1º. si censura sit lata contra aliquod crimen in una Diœcesi, si subditus idem crimen patrauerit in alia Diœcesi non contrahit censuram. Immo si censura sit ferendæ sententiæ, et subditus patrauerit factum criminis in Diœcesi, ac deinde ad aliam transierit Diœcesim, Episcopus non potest sententiam excommunicationis ferre contra delinquentem. Nam extra territorium jus dicenti impune non paretur. *Cap. 2. De Constit. in VIº.* Verum si subditus absens a Diœcesi, eo ipso quod absens delinquat ex. gr. quia non residet, nec muneri suo satisfaciatur, si vocatus renuat redire, et contumax constituatur, subjici potest censuris, quas in eum ferat Episcopus.

18. 2º. Peregrinus, qui legibus locorum per quæ transit non obligatur, non subjacet censuræ, quæ per legem generalem in Diœcesi contra aliquod crimen lata est. Dixi per *legem generalem.* Etenim quoniam quis ratione criminis sortiri potest forum proprium in loco criminis, hinc Episcopus contra peregrinum in sua Diœcesi delinquentem procedere potest, eique congruas pœnas infligere, non exceptis censuris.

19. Tradunt communiter DD. saltem ex usu et consuetudine introducta, non posse Episcopum censuram infligere contra Imperatorem, Regem ob horum excellentiam et dignitatem. Tandem notandum sub generali dispositione legis censuram inferentis, non venire Episcopos, nisi specialiter de illis mentio fiat. *Cap. 4. h. t. in VIº.*

20. Quinam absolvere possint a censuris?

Absolutio a censuris concedi potest nedum ex potestate ordinaria, sed etiam ex delegata. Est enim actus jurisdictionis, qui per se delegari potest. Hoc posito si censura lata fuerit ab homine, absolvere potest 1º. Rom. Pont., quicumque fuerit, qui eam inflixerit, sive censura ab alio lata, inflicta fuerit ex auctoritate et motu proprio, vel applicatione dispositionis legis decernentis censuram ferendæ sententiæ, 2º. potest absolvere, qui eam tulit, et ejus successor, necnon ejus superior, si ad eum causa censuræ in gradu appellationis fuerit delata, vel si sermo sit de Archiepiscopo, potest hic in actu visitationis Diœcesis suffraganei sui, absolvere ligatos censura a suo suffraganeo. 3º. Quilibet sacerdos in articulo

mortis potest ab omnibus censuris absolvere. Quod si tamen infirmus convalescit, tenetur superiorem adire, non quidem ut absolutionem iterum recipiat, sed ut obedientiam præstet, et congruam præstet satisfactionem, si superior illi imponat.

21. Quid vero si a lege generali constitutione feratur censura?

Si censura nemini fuerit reservata in foro interno potest ab ea absolvere, quicumque potest delinquentem absolvere a peccato lethali.

22. Si autem fuerit reservata 1^o. in articulo mortis quilibet sacerdos potest absolutionem dare, ita tamen ut si infirmus bonam valetudinem iterum adquisierit debeat adire superiorem ut supra. 2^o. Romanus Pontifex pro sua in tota Ecclesia potestatis amplitudine. 3^o. Auctor legis vel ejus successor. Hinc in censura reservata Pontifici Maximo virtute potestatis propriæ nullus Episcopus potest absolvere. Verum circa censuras reservatas Romano Pontifici plura sunt animadvertenda.

23. 1^o. In Constit. '*Apostolicæ Sedis*' distinguitur inter excommunicationes latæ sententiæ, *speciali modo* Summo Pontifici reservatas et alias eidem *simpliciter* reservatas. Jamvero vis hujus distinctionis secumfert ut in censuris primi generis solummodo illi possint absolutionem concedere, qui specialem facultatem ab iisdem absolventi acceperint a Romano Pontifice. Quare sub mandato vel indulto generali absolventi a censuris papalibus non venit facultas absolventi a censuris speciali modo Summo Pontifici reservatis.

24. 2^o. Si censura sit occulta, nec ad forum contentiosum deducta, Episcopi possunt in ea absolvere in foro conscientiæ sive per se, sive per Vicarium specialiter deputatum suos subditos in propria Diocesi, excepta tantum hæresi, a qua per seipsos absolvere possunt (*ita cap. 6. sess. 24. Refor. in Trid. 'Liceat Episcopis in irregularitatibus etc.'*). Verum hæc dispositio aliquatenus immutata est a Constit. '*Apostolicæ Sedis*' in qua circa finem legitur 'Firmam tamen esse volumus absolventi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam (*sess. 24. De Reform. c. 6.*) in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac nostra Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo declaravimus reservatas'.

25. 3^o. Episcopi absolvere possunt a censura Papæ reservata, quando necessitas et impedimentum adsit, quominus Summus Pontifex adiri queat. Ita Doctores, ex præsumpta delegatione S. Pontificis, cui potestas data est in ædificationem et non in destructionem. Unde adagium '*Casus Papalis fit casus Episcopalis*'. Circa hanc opinionem advertimus eam neque probatam neque rejectam fuisse a S. Pœnitentiaria. Eam fundari præsertim in ratione difficultatis itineris suscipiendi, ut persona ad S. Sedem accederet, et præsens absolutionem reciperet. In more enim positum est S. Sedis, ut recursus per Epistolam recipiantur, et vel detur absolutio ab ipsa S. Sede in forma gratiosa, vel facultas absolventi delegetur Ordinario loci, vel Confessario ipsius personæ, quæ censura ligatur. Ceterum accessus ad Sanctam Sedem per Epistolam facilis hodie admodum est.

26. Tandem duo sunt præ oculis habenda 1^o. absolutionem a censuris esse actum jurisdictionis. Hinc concedi potest sive ex potestate ordinaria, sive ex delegata. 2^o. Absolutionem pro foro sive externo sive interno dandam esse juxta formam in Rituali Romano descriptam. Et quidem pro absolutione ab excommunicatione in foro interno sufficit ipsa formula absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ adhibenda. '*Misereatur*' '*Indulgentiam*' '*Dom. Nost. Jesus Christ.*' etc.

27. Breviter de censuris in specie.

1^o. *De Excommunicatione*. Excommunicatio est 'censura ecclesiastica, qua homo Christianus a communione fidelium, et bonis spiritualibus quæ fideles inter se communicant excluditur'. Alia est *major* alia *minor*. Major est qua homo Christianus totaliter a communione fidelium excluditur. Hæc, si solemnitatibus adhibitis, infligatur ad terrorem aliorum, et præsertim quando rei emendationis spes non affulgeat solet appellari anathema. Dum hoc infligatur 12 Presbyteri debent assistere Episcopo et lucernas ardentes in manibus tenere, quas post pronunciatam decreti formulam, seu sententiam projiciunt et pedibus proculcant simulque maledictiones pronunciantur ad indicandam execrationem personæ in delictis suis inique contumacis.

28. Quæritur quinam sint effectus excommunicationis majoris.

Resp. alios esse remotos, alios proximos. Remoti sunt 1^o. Irregularitas, si violetur, exercendo ordines.

2^o. Suspicio de hæresi, si quis per annum insorderit in ea, idest non curaverit absolvi.

3^o. Privatio beneficiorum post triennium ex sententia iudicis condemnatoria.

Effectus proximi sunt 1. privatio sacramentorum, active et passive; 2. divinorum officiorum; 3. suffragiorum Ecclesiæ; 4. sepulturæ ecclesiasticæ; 5. inhabilitas ad beneficia; 6. privatio jurisdictionis ecclesiasticæ; 7. communionis forensis; 8. societatis civilis, quæ solos vitandos respicit.

Quoad privationem sacramentorum activam, nota in casu extremæ necessitatis peti posse etiam a vitando, baptisma, penitentiam, eucharistiam et extremam unctionem.

Quoad privationem jurisdictionis, nota quod actus excommunicati tolerati sustinentur nisi ei objiciatur exceptio excommunicationis; idem est de actibus forensibus.

29. Minor est qua homo christianus separatur a communione ceterorum fidelium solummodo quoad usum passivum sacramentorum et privatur voce passiva in electione.

30. Contrahitur vero ob communicationem illicitam cum excommunicatis nominatim, vel cum notoriis percussoribus clericorum. *Const. Mart. V. 'Ad evitanda'*. Hæc excommunicatio in foro interno absolvi potest a quolibet sacerdote approbato ad confessiones excipiendas. In foro autem externo absolutio concedenda est ab eo qui facultatem habet. Porro cum vitandis communicare non licet per verba, litteras, salutationem, convivia, contractus, neque orationibus in sacrificio Missæ, in sacramentis.

31. Extra divina licet communicare cum excommunicatis vitandis, si una ex rationibus verificetur in versiculo expressis *'utile, lex, humilis, res ignorata, necesse'*. *Utilitas* temporalis et spiritalis, tum excommunicati tum communicantis. *Lex* matrimonialis vinculi vi cuius conjux innocens potest cum excommunicato vitando omnem habere communicationem, quemadmodum ante excommunicationem habebat, debita obedientia filiorum erga parentes, subditorum erga Superiorem et viceversa. *Ignorantia* sive juris sive facti. *Necessitas* quæcumque sive animæ, sive corporis, sive famæ, sive fortunæ, sive excommunicati, sive communicantis, sive etiam tertii.

32. An adhuc vigeat excommunicatio minor.

Affirmativa sententia ab aliquibus tenebatur sed negativa prævaluit quæ eo innititur quod Bulla *'Apostolicæ Sedis'* simpliciter asserat se recensere omnes censuras latæ sententiæ, ideoque cum nullam mentionem faciat excommunicationis minoris, censenda est per præteritionem abrogata. Et hæc sententia recepta est apud Supremum Tribunal S. O. Romanæ et Universalis inquisitionis. Nam die 10. Dec. 1883 proposito dubio *'An hæc sententia (docens excommunicationem minorem vi Const. 'Apostolicæ Sedis' abolitam esse) tuto doceri possit in Seminario'*, responsum est affirmative. Ideoque in praxi tenendum est excommunicationem minorem esse abolitam. Vide *Acta S. Sedis vol. XVII. fasc. XI. pag. 556*.

33. II^o. *De suspensione*. Suspendio est *'censura Clericorum privans usu potestatis, vel juris ecclesiastici'*. Alia est ab *officio*, seu *ordine* et *ministerio*, alia est a *beneficio*, alia est ab *utroque*. Potest vero una ab alia separari, ita ut una non secumferat necessario aliam. Si suspensio feratur a iudice per modum censuræ, contra contumacem, requiritur monitio. *Arg. cap. 'Reprehensibilis' De Appell. et Abbas. ibid. n. 5.*

34. III^o. *De interdicto*. Interdictum est *'censura privans usu omnium divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum, ac sepulturæ ecclesiasticæ'*. Dixi aliquorum sacramentorum. Nam tempore interdicti administrari possunt Sacramenta Baptismi, Confirmationis et Pœnitentiæ. Prohibetur etiam benedictio nuptialis, licet matrimonium contrahi possit. Administratur etiam Eucharistia ægrotis et extrema unctio infirmis. *Cap. 11. 'Quod in re' De Pœnitentiis'*. Interdictum est aliud *locale*, quod scilicet directe locum afficit, aliud est *personale*, quod scilicet directe afficit personas, aliud *mixtum*, quod scilicet personas et loca afficit. Aliud est *generale locale*, quod nempe vel integram civitatem, vel integrum regnum respicit; aliud *locale speciale* quod nempe unum locum ex. gr. templum respicit; aliud *personale generale*, quod afficit omnes personas unius communitatis; aliud *personale speciale* quod afficit unam vel aliquas determinatas personas; aliud *totale* quo interdicitur usus omnium bonorum spiritualium de quibus in definitione, aliud *partiale* quo prohibetur usus tantum unius vel alterius rei, ex. gr. ingressus in Ecclesiam.

35. A lege generalis interdicti excipiuntur Dies Natalis Domini, Paschatis, Pentecostis, Assumptionis B. M. Virginis. *Cap. 'Alma mater' h. t. in VI.* Et hæc suspensio interdicti a Martino V. et Eugenio IV. concessa est etiam quoad totam Octavam Corporis Christi.

36. Interdicto affinis est cessatio a divinis, quæ tamen non est censura, sed prohibitio facta Clericis ut abstineant ab officiis divinis, ab administratione sacramentorum, et ab ecclesiastica sepultura in loco determinato.

Alia est a jure, alia ab homine; prima existit ipso facto cum Ecclesia polluitur vel execratur, altera fertur ab habente jurisdictionem in foro externo.



Imprimatur

pro IV. et V. Decret.

Fr. Augustinus Bausa Ord. Præd.

S. P. A. Magister.

Index rerum.

- | | |
|--|---|
| <p>Titulus I.
De accusationibus, inquisitionibus
et denunciationibus.
pag. 5—12.</p> <ol style="list-style-type: none"> 1. Objectum hujus libri. 2. Accusatio quid? 3. Ejus requisita. 4. Denunciatio quid? 5. Inquisitio. 6. Generalis, specialis, specialissima. 7. Quinam accusare regulariter prohibentur. 8. Crimina excepta. 9. Qui accusare, et judicialiter denuntiare prohibentur. 10. Quando judex inquirere valeat. <p>De modo procedendi extrajudicialiter, ex informata conscientia.</p> <ol style="list-style-type: none"> 11. Jus concessum a Tridentino. 12. Episcopus hoc jure utens, non tenetur manifestare motiva suæ sententiæ, neque ab ea datur appellatio nisi in devolutivo ad S. Sedem. 13. Lex Tridentina complectitur et arctatos ad ordines; sed tunc non susceptio ordinum, eis non nocet. 14. Tamen nequit applicari ob crimen publicum. 15. Jus Decretalium pro Clericis sæcularibus et regularibus. <p>Santi, V. Decr.</p> | <ol style="list-style-type: none"> 16. Tridentinum extendit ad Clericos sæculares jus jam constitutum pro regularibus, pro delictis occultis tantum. 17. Analogæ declarationes S. C. C. 18. Quandonam crimen dicatur occultum. 19. Suspensio lata ex informata conscientia est censura, et ejus violatio importat irregularitatem, etsi interposita sit appellatio ad S. Sedem, vel lata sit ex falso supposito. 20. E contra, si lata pro crimine publico, quia invalida. 21. Ex informata conscientia Episcopus suspendere potest etiam ab officio. 22. Item et a beneficio. <p>Titulus II.
De calumniatoribus.
pag. 12—13.</p> <ol style="list-style-type: none"> 1. Quid calumnia. 2. Pœnæ antiquæ et recentes contra calumniatores. 3. Calumnia præsumitur in accusatore vel denunciatore, qui deficit in probando; sed admittitur purgatio calumniæ. 4. Pœnæ in injuste accusantes confessorios de sollicitatione. |
|--|---|